

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE  
CAELANDIS  
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS  
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

## Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

## SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

## Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1  
cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, ante solvendum, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1.80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

apud

Gebethner et Wolf

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

Kronika Rodzinna,

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1699, Rue Notre-Dame.

T. et G. Fratrum Parisi

ROMAE in ITALIA  
in foro Campi Martii, 6



Vincentius Rigacci  
officinae conditor  
an. 1789.

PONTIFICIA OFFICINA  
**CANDELARUM AD SACRA**  
cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X  
honores addidere

Candela ad Sacra in Americas, in insimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios  
atque in Australiam exportantur.



Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Can-  
delas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt,  
et cuique visitandas praebent per tessera gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae  
in foro Campi Martii, 6, potentibus distribuendam.

Candalarum «tipus oeconomicus» perfectae exustionis venit lib. (francs) 225 cen-  
tenis Kgr. — Merx nullo iubentis impedio in omnes orbis portus mittitur, dummodo tre-  
centis saltem cerae Kgr. constet.

Colligations ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum  
dorso (viginti dierum iter) facilime perferant.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglicana, Theutonica, Hispanica lingua.

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Octobribus M DCCCCIX.

Num. X.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

- In optimis studiis lente festinandum.  
Commentationes philologicae. — De Tacito Tiberii iudice.  
De poësi Macaronica Nicolai Capassi.  
Horrida Barcinone admissa in hebdomada terroris, ultima men-  
sis Iulii ann. M C M IX.  
Paroemia sive Adagia: Quarta luna natus. - Albae gallinae filius.  
Cornutani bestiam petis.  
Colloquia latina. — Invisitur aeger.  
Venatio autumnalis.  
Acta Pontificia. — Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia  
Papae X litterae encycliche octavo exeunte saeculo ab obitu S. An-  
selmi doctoris.
- Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae se-  
lectae.  
Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electio-  
nes. - Vita functi viri clariores.  
Annales. — Cretensis quaestio. - Mauritani bellum.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis.  
Per orbem.  
Ioci.  
Aenigmata.  
Aegyptii. — Caroli M. Rosinii Comoedia. (Recognovit I. F.).

## IN OPTIMIS STUDIIS LENTE FESTINANDUM

Gloriantur nonnulli nostrae aetatis homines, paucis  
annis et peregrino labore facile esse magnam sibi  
doctrinae laudem comparare. Quin etiam hoc libere  
affirmant, hominis vitam non brevem admodum esse,  
ut putavit Hippocrates, ad unam vel alteram disci-  
plinam assequendam; sed diuturnam quoque satis et  
bene longam ad amplissimum illum disciplinarum  
orbem obtainendum, quem Graeci encyclopaediam  
dixerunt: tot videlicet esse hodie discendi subsidia  
prompta atque parata, tam amplam librorum supel-  
lectilem, tot publica ubique gymnasia et nobilissima  
litterarum emporia patere, ut nisi quis ingenio sit  
omnino destitutus, aut summam ad ignaviam proiectus,  
brevi possit praeclaros in omni liberalium artium  
genere progressus facere. Quae quidem si vera sunt,  
ab istis quaero, qui tandem fiat, ut in tam obvia  
atque expedita discendi ratione, tam pauci nihil  
minus reperiantur, qui non dico universum illum  
disciplinarum circulum ingenio complectantur, sed in  
una vel altera disciplina inter ceteros longe praestent,  
et quasi primos ordines ducant? Nemo profecto non  
videt, communī experimento refelli inanem istorum  
hominum credulitatem, aut nimium, ne durius agere  
videar, blandiendi cupidæ iuventuti desiderium.  
Multo enim labore multisque vigiliis, si vera fateri  
velint, opus est ad solidam doctrinae laudem conse-  
quendam. Nec quicquam est, mea sententia, quod  
studiosis adolescentibus officiat magis quam immatu-  
ra et praeceps studiorum ratio. Quandoquidem si  
ulla alia in re, certe in optimarum artium studio, ut  
veteri proverbio dicitur, est lente festinandum.

At vero dum immaturam et plus aequo festina-  
tam studiorum rationem reprehendere instituo, nemo  
sibi persuadeat, eorum mihi probari consilium, qui  
in levioribus studiis adolescentes diutissime detinent,  
ut ad unam exempli gratia latinae linguae institu-  
tionem complures anni, immo integra hominis aetas  
vix satis esse videatur. Tantum abest, ut istorum  
sententiam laudem, quin illam potius nullo modo fe-  
rendam esse iudico. Nam ut de ipsis latinae gram-  
maticae rudimentis exemplum sit, quid est per ho-  
minum fidem immensa illa regularum, appendicium,  
scholiorum monitionumque farrago, quam ad tor-  
quenda puerorum ingenia usque adeo exaggeravit  
cerebrosa ista grammaticorum natio? Quid tot am-  
bagies ac subtiliores observationes, quae non latinae  
linguae castitatem, sed tricas et spinas bene longas  
continent potius, in quibus miseri adolescentes potis-  
simam aetatis partem traducere coguntur? Amputetur  
aliquando tot luxuriantibus ramis abundans ipsam  
latine loquendi ars; puerisque tradatur angustis et  
rationabilibus circumscripta finibus grammaticae facul-  
tatis institutio: nae ego amens sim, nisi minori cura  
et perbrevi tempore pueri ipsi latinum sermonem  
integrum ac purum expedite loquantur; quos hodie  
post tot labores atque aetate grandiori vix balbu-  
tientes audimus. Quod quidem de longioribus gram-  
maticorum commentationibus sic dictum volo, ut de  
dialecticis pariter, de physicis, de theologicis ipsis  
aliisque gravissimis facultatibus non minus intelliga-  
tur. Quandoquidem ingeniorum luxuries tantam  
in singulas disciplinas propaginem subtilitatum in-  
vexit, ut sapientissimi cuiusque iudicio nihil iam

utilius magisque necessarium esse videatur, quam eas quasi ad vivum resecare. Quamobrem ego nunquam eos bonarum artium professores laudaverim, qui nimia quadam docendi intemperantia ducti singula queque student subtilius copioseque enucleare, ut nihil praeterea supersit dicendum, vel cogitandum; quique non id quaerunt, ut ad doctrinam veram et solidam iuventuti facem praferant, sed illud potius, ut rerum ubertate et dicendi copia magnam sui moveant audientibus admirationem. Qui si gloriolam istam pluris quam iuventutis ab se recte in studiis instituendae laudem faciunt, certe sunt reprehendendi.



Verum, si quis forte putet, quum unam vel alteram disciplinam a me nominari audiat, leve aliquid, aut parvi negotii provinciam dici, is vehementer errat. Quemadmodum enim maximorum montium altitudo procul intuentibus minus conspicua esse solet; ubi vero ab ea propius absimus, tum apparet quanta demum illa sit, et quam in sublime assurgat; ita fere nemo prospicit quam excelsum atque arduum sit eiususque doctrinae fastigium, nisi illud cominus contempletur, et quam proxime ad ipsum accedat. Praestat itaque liberalium artium naturam earumque altitudinem atque profundum paulisper inspicere. Studia eloquentiae vix attingam, exstant enim in oculis omnium quae multa M. Tullius, Fabius Quintilianus et Dionysius Longinus ad perfectam absolutamque dicendi rationem esse maxime necessaria doctissimis monumentis tradiderunt. At vero philosophia, quae primo nobis occurrit, in quantam, Deus immortalis, latitudinem sese explicat? in quot partes ac membra veluti magnum doctrinae corpus distributam videmus, quae singula multiplicem eruditioinem comprehendunt? Nam ut dialecticae artem, quae sane suas habet subtilitates et anfractus bene multos, praeteream; quanti ingenii ac laboris est, rerum omnium, quas oculis intuemur, quaeque in terris vel in aqua gignuntur, sive in aere ex elementorum conflictu procreantur, caussas penitus abditas retrusasque perquirere? Quot profecto in hac una naturae contemplatione arcana latent, de quibus et veterum philosophorum placita consulenda et experimenta recentiorum ad examen saepius sunt revocanda? Evidem nemo hactenus fuit, qui certo definire, aut satis explicare potuerit et magnetici lapidis ad caelestem polum conversiones et originem fontium et admirandam fulminum celeritatem et vim ac sexcenta eius generis alia. Tu vero vix auditis aliquot de materia et forma opinionibus, vix nonnullis de caussarum numero atque ordine quaestiuculis delibatis, te continuo physicum praedicas et universae naturae interpretarem sapientissimum?

At vero profundorem, inquit, naturae notitiam iis ultra relinquimus, quibus per omnem vitam in eiusmodi studiis otiali vacat. Nobis autem, qui ad gravissimas facultates, ad iurisprudentiam, ad medicinam, vel theologiam properamus, abunde est primis labris isthaec degustasse et extremis, ut dicitur, digitis attigisse. Praeclare quidem. At metaphysicae studium, quod viri sapientes tanti fecerunt, atque ethica, quae disciplina morum vitaeque civilis magistra habita semper fuit, omnino superfluent? Quid multa? Honestissimas siquidem eius generis disciplinas quasi otiosas occupationes aestimant, et tanquam figmenta a male feriatis hominibus excoigitata negligunt atque praeterereunt. Non erat ergo, cur tam multa sapientissimus Socrates de virtutibus ac vitiis disputaret. Non erat, cur Plato atque Aristoteles, eur antiqui tot ac recentiores viri doctissimi tam ampla de singulis philosophiae partibus scripta posteritati relinquenter, si in illis nihil excellens, nihil egregium, nihil denique bona frugis inveniretur. Age vero ad medicorum scholas advolent cursores isti studiorum. Graecas, credo, litteras, quibus ipsa medendi ars principium sane debet et incrementum, intime norunt. At vereor, ne latinas quidem, imo sui ipsius quiske civitatis satis intelligent. Caelestium corporum motus, opinor, et quam in haec nostra inferiora vim habent, probe tenent. Quid ad medicum, inquit, sidera? Nos morborum originem eosque depeplendi rationem, non stellarum ortus et occasus inquirimus. Atqui Hippocrates et Galenus, medicorum principes, ut alios omittam, hanc ipsam astrorum scientiam ad morborum curationes suscipendas, aut etiam praetermittendas, ad crises internoscendas, ad exitus bonos vel malos praenunciando esse maxime necessariam affirmant. Et vero paucis explicari non potest, quam multiplicem rerum notitiam postulet ars ceterarum omnium periculosisima. Quis enim ignorat quam intimam arctamque habeat medendi facultas cum anatomia, cum botanica, cum optica, cum mechanica aliisque bonis artibus societatem? Quae si forte negligantur, nullum maius reipublicae malum, aut luctuosius communi saluti periculum accidere potest. Hinc enim fit, ut homines nullis eiusmodi studiis informati ad usum atque exercitationem eius artis temere irrumpant, quae quem per se sit maxime periculos, nisi recte adhibeatur, evadit longe omnium perniciosissima. Et mirabitur quisquam, si id temporis in tanta quidem medicorum turba unum plerique omnes medicum quaerant? Verum plura dixi, quam volueram, de isto hominum genere, quocum dimicacionem suspicere est valde periculosa. Illud mihi satis est cuique ob oculos ponere, medicinam arduam et negotii plenam esse provinciam; nec quem-



quam fore etsi ingenio praestantem, qui exiguo tempore, aut modico labore assequi possit id, ad quod obtinendum superiori memoria viri ab ingenio prope facti et optimis artibus instructissimi spatium aetatis omne consumpserunt.

(*Ad proximum numerum.*)

P. LUCENSIS.

## COMMENTATIONES PHILOGICAE


### DE TACITO TIBERII IUDICE

Pauci in antiquitatis memoria viri tam acrem tamque subtilem et omnia minima rimantem sui censem nacti sunt quam Caesar Tiberius Tacitum, qui non satis habuit uno loco separatim (*Ann. VI*, 51) continua oratione ingenii morumque Tiberii descriptionem exhibere, sed per primos sex *Annalium* libros (quorum pars intercidit) Tiberii historiae destinatos nullam fere occasionem praetermittit, quin in singulis quibusque imperatoris actionibus, quas refert, ita suum interponat iudicium, ut, quibus rationibus et consiliis adductus Tiberius hoc illudve fecerit, indagare adeoque ex illius animo elicere velle videatur. Quam autem hoc modo imperatoris effigiem exsculpsit, ea sane idonea est ad legentis animum odio et horrore Tiberii afficiendum. Namque videmus principem vel potius tyrannum in omni simulationis et dissimulationis arte probe exercitatum et perfectum, tum in cives tum in suos familiares crudeliter saevientem, denique nullo non abiectissimarum libidinum genere immersum et ingurgitatum, ut vix suspergit, quo taetrior ac detestabilior species effici possit.

Haec tamen imago per multa saecula non solum pro vera et ad vivum expressa habita est, sed tantam apud posteros artificii nomine admirationem habuit, ut fere nemo a Taciti iudicio dissentire auderet. Qui autem recentiori aevo crisin aliquam adhidentes liberius de ea re pronuntiarent, valde id recunde, haesitauerit et restrictive fecerunt. Quorum sententias hac fere formula complecti licet: « Tacitum arduum opus suscepisse, ut Tiberii ingenium tortuoso et ad cogitationes linguae ope celandas accommodatum explicaret. Quod quem faceret, potuisse quidem accidere, ut hic illic aequo plus simulationis et dolis actionibus imperatoris subesse opinaretur, sed in universum aestimanti relationem Taciti, quippe qui Tiberium penitus perspexisset, debere veracem videri ».

Nostris demum diebus exortus est, qui argumentis undique collatis vehementius Taciti auctoritatem im-

pugnaret. Fuit is Adolphus Stahr, qui in libro, quem de Tiberio scripsit (Berolini 1863), copiosis demonstrationibus utens plane aliam et a Tacitea modis omnibus diversam imaginem Tiberii proposuit, scilicet ut imperatoris egregii et inter paucos de imperio Romano bene meriti. Neque vero, ut fere fit in tali re, defuerunt, qui paulo postquam Stahri liber in lucem prodierat, Taciti causam strenue agendam susciperent eiusque fidem intemeratam sustinere stupererent. Quorum dux et coryphaeus exstitit Eduardus Pasch libro edito Altenburgi an. MDCCCLX VI.




Duae igitur in manibus sunt sententiae adversis frontibus pugnantes, quarum utri ad stipulandum putamus? Scio equidem auream illam mediocritatem, trito proverbio iactatam, in litterariis certe rebus non semper recto tali stare, sed nonnunquam consultius esse unam aut alteram partem aperte et sine tergiversatione amplecti, verumtamen hac in causa re diligenter perpensa hue mea redit sententia: utrosque adversarios nonnihil videsse veritatemque, quam quaerimus, in medio sitam esse, ita tamen, ut aliquanto proprius absit ab eis, qui de integra Taciti fide addubitet.

Iam quae me causae, ut ita sentire, commovrint, strictim exponam. Post Tiberii mortem homines ad acerba de eo iudicia pronus fuisse credibile est. Erat enim in Tiberio quaedam ingenii tristitia ac morositas, abhorrens a publicis pompis et spectaculis et aliis eiusmodi nugis, valde discrepans ab Augusti comitate, vana illa quidem et futili, sed quae tamen plebeculae animos aliceret et deleniret. Neque eos, qui ante Tacitum res Tiberii scripsere, minus infense de eo iudicavisse memorabilis testatur ipsius Taciti locus (*Ann. IV*, 11): « Neque quisquam scriptor tam infensus exstitit, ut Tiberio (mortem Drusi) obiectaret, *quum omnia alia conquirerent intenderentque* ». Atque ipsum Tacitum, qui natura ad severitatem et tristitiam compitus e priorum auctorum fontibus hausisset et ipse Neronis et Domitiani tyrannidem expertus esset, ad hominum actiones in deterius interpretandas proclivem fuisse cum per se consentaneum est, tum omnia eius historica opera perspicue docent. Quid igitur mirum, si etiam in Tiberio iudicando omnia atra vide sibi visus est? Hinc illud Taciti studium in hominum animos introspiciendi, quorum se praecipuum quandam exploratorem et scrutatorem voluit, hinc illa indefessa curiositas recondita nescio quae et arcana Tiberii consilia vestigandi. Quo in negotio quis non videt modum facile excedi posse? Nam si vel aequalium animos tentare et abditas eorum cogitationes quasi divinare admodum lubricum est, quid de eo dicemus, qui in mente hominis pridem mor-

tui intimos quosque sensus eruere et tamquam in speculo cernere se posse putet? Quasi vero quisquam in tali re immunem se ab errore praestare possit. Atque hanc labem in Taciti iudicia cadere cum propter ipsius naturam, qualem supra notavimus, probabile est, tum eo fit verisimilius, quod nec iudicia ista cum factis ab ipso Tacito enarratis usquequaque conveniunt et is etiam bonis et laudabilibus Tiberii actionibus clandestina consilia h. e. simulationem et malum dolum supponere non est veritus, id quod non nullis Annalium locis demonstrari potest. Sed si quaerimus, cur Tacitus tam averso a Tiberio animo fuerit, praeter ipsum Taciti ingenium in causa fuisse reperiemus etiam eam rationem, cui Tacitus in publicis rebus adhaerebat, sive, ut planius dicam, studium nobilitatis. Nam optimatum privilegia, quae illi pro suo iure affectabant, sane circumcidet Tiberius, imprimis eo, quod non quotannis novos expilatores, qui hirudinum instar sociorum sanguinem exsugent, in provincias mittebat, sed semel probatos, quam diutissime posset, in munere fungendo retinere solitus erat, eos autem, qui in regendis provinciis suea crumenae prospicientes delinquissent, severo iudicio repetundarum damnabat. Hanc sui deminutionem neque nobilitas imperatori unquam condonavit et Tacitus, licet se « sine ira et studio » scripsisse profiteatur (*Ann. I, 1*), tamen ut nobilitatis assecula item aegre tulit. « Hinc illae lacrimae ».

Haec si probabiliter disputata sunt, unum certe Tiberii crimen idque capitale, foedissimum et homine indignum, simulationem dico, si minus totum expunctum, at aliquanto mitigatum et ad temperatiorem modum reductum videmus.



Restat crudelitas et quae de libidinum effusione traxa sunt. Et crudelitas quidem sine dubio maxime erupit post exitum Seiani. Hunc Tiberius quum omnibus honoribus extulisset omniumque consiliorum consortem et prope unicum amicum habuisset, scelerate perfidum suique eversorem expertus non potuit pro insita ad tristitiam propensione non immane quoddam in homines odium suspicere, quod quamquam minime defendimus, tamen quae post Seiani necem inscuta est Tiberii saevitia, si non excusationem, at certe aliquid explicationis habet.


Difficilis est iudicium facere de libidinibus et belluationibus, quas Tacitus quidem in transcurso memorat, in quibus autem referendis Suetonius tantum non ipse hellnari videtur. Nobis quidem tota haec criminatio exaggerata et in maius aucta videtur, quia parum credibile est Tiberium, si tot libidinum factibus arsisset, vitam ad octavum et septuagesimum annum producturum fuisse. Ceterum non oblivious-

dum putamus etiam alios principes, quorum de fama non tantum, quantum de Tiberii fama, detractum est, isti vitio non multo moderatius indulsisse.

His quae diximus etsi scimus non amabilem aut laetificam effectam esse huius imperatoris figuram, tamen aliquanto minus taetram evasisse confidimus. Quid, si ulti adicimus eum quatuor virtutibus, quae vel maxime in bonis principibus requiruntur, quas tamen Tacito haudquaquam pro merito ponderare placuit, fuisse ornatum: integrae iurisdictionis cura, omni laude digna provinciarum administratione, egregia reddituum publicorum, vectigalium et aerarii, prouuratione, rara liberalitate et munificentia, qua cum privatis homines, qui quidem causam suam ei probassent, sublevavit, tum totis civitatis, quae incendiis aut terrae motibus aut aliis calamitatibus oppressae fuissent, subvenit? Ecce virtutes, quae luce clarissim ostendunt eum ad gerendum principatum natum factumque fuisse; virtus autem, a quibus nobis non in animo est eum ex omni parte vindicare, partim imbecillitati humanae, partim corruptelae temporum, quibus vixit, imputare aequum est. Ut verbo dicam: pauci inter Romanos imperatores inveniuntur, qui melius quam Tiberius imperii saluti consuluerint. Nobis quidem persuasum est fore, ut hoc recentius de Caesare Tiberio iudicium in dies magis radices agat, latius propagetur et Taciti luminibus officiat.

Goritiae.

A. B.



#### DE POESI MACARONICA NICOLAI CAPASSI

in Neapolitana Academia primarii legum professoris

II.

Ex iis quae de Nicolai Capassi poesi macaronica (1) attuli, iam cuique proclive est intelligere quam in hoc ludicro canendi genere Capassus excellens fuerit. Potest enim dilaudari, in exemplis prolatis, nescio quid venae ubertatis, inventionis felicitas, stilus exercitatus, politus ac prope ad optimorum augustae aetatis scriptorum amussim cinnatus, syllabarum mensura diligenter servata, argutiarumque vis inexhausta. In tenui quoque re, poeta nunquam deflectitur, nunquam dicit sordide; sed eadem ratione semper et egregie canit. Nonne saepe videtur se altius extollere ac latine eleganter scribere? Nonne suis manibus lingua vernacula excolitur et optimam in formam, prope dixerim, redigitur? Nonne, his rebus, auctor cum Folengo comparandus est, qui, miro ingenio praeditus et artis iudicio permotus, multa in suis carminibus habet quae veram ac genuinam latinitatem redoleant? Ni-

(1) Cfr. num. sup.

mirum Capassus, multa exercitatione usus optimisque in studiis nutritus, eo acriter tetendit, ut egregius semper evaserit, quidquid sumpserit tractandum. Rem ita se habere, testimonio certo confirmant quae de eius ingenio viri eruditio omni aetate iudicaverint, in quibus praesertim illa Vici insignia mihi videntur:

*Dives qui omnigenae eruditio, Felix ingenio, rotundus ore, Astricto es celebris stilo, et soluto.*

Nam Vicus, quem Capassus « patriae decus » appellabat (1), neminem eo nec iucundiores nec cariores habuit, adeo ut « socium suorum ocella » propensa voluntate salutaverit. Adde autem quod acute optimeque praefatus est qui varia Capassi studiorum monumenta collegit: « Tanta sane curarum varietas nihil illi morae fuit, quin seriis musarum otia quoque misceret, in quibus is certe fuit, qui scribendi elegancia, sententiarum gravitate ac nitore, Latinorum atque Italorum poetarum imitatione, nulli fuit secundus ».

Bernardus de Ambrosio, clarissimus in Universitate neapolitana iuris professor, cui Nicolaus de Rosa, episcopus puteolanus, Capassi scripta revindenda commisit, haec de iis non dubitavit asserere: « Ac Poetica praesertim nunc typis mandantur, in quibus dum serio agit, Virgilianae maiestatis apicem, dum ludit, festivitatum facetiarumque penitissimos inoffenso pede attingit recessus. Volupe autem est videre eum Graeca, Latina, Itala, Fidentiana, Merliniana, Neapolitana non unius generis carmina condentem et cuiusvis linguae genium continuo in succum et sanguinem convertere, et orationis decorum perpetuo servare, et quod de Caesare Tullius scribit, sale vero et facies omnes vincere ». Namque sales et lepores, quos poeta grumensis continuo suis scriptis inspergit, nota sunt quaedam poetici sui generis haud parvi existimanda, quae proprius in macaronicis speciminibus effulget. Quid de illis lepidis dictis iocisque liberilibus, in quae vel ad singula vestigia incurrire te oportet? Quid concinnius facetiusque carmine *De Curiositatibus Romae*, quod inde a primis verbis nos hilarat? Nonne rumperis cachinno, dum versuum gravitate argumenti enuntiationem legis?

Si macaronicae poesis illud praecipuum est ut, salibus materiam exornando, nostri risum capet, eequid iis aptius significantiusque quae Capassus tradidit? Casus in quem Zimaeus infelix, omni spe deiectus, incidit, Ricciardi historiam, tristem sane ac periculorum plenam, exsuperat; Romani, fame compulsi atque exagitati, lntres ouerarias prope oras Tiberis exspectant, velut functorum animae scapham Stygii senis; nomen Urbis, vixum auditum, terrorem incutit; pedites qui per vias Romae, male lapidibus stratas, transeunt, ni talos corio septemplici muniunt,

(1) Vide Carmen « In Nuptiis Hadriani Caraphae Traientinorum ducis et Theresiae Burgesiae e principibus Sulmonensium ».

ut scutum Aiakis, de se iam actum esse dicant; in aula omnia mala cumulantur, quae Pandora, volens recreare homines, reclusi; Zimaeus vel aquam cariore emit, tamquam in arenis Lybiae fabricasset, pecuniamque in domum exstruendam tam multam erogavit, ut vel S. Marci thesauros vel opes Pietatis consumere poterit... Conscium autem Capassum virtutis suae poeticae ingeniique ex se fertilis sibi esse, latius videntur testari quae is in principio carminis de *Disgratiis Zimaei* de se ipso sentit:

*Alter ad impresam Campion incognitus ibit,  
Cui fuit in Costae littore factus honor,  
Deuge Fortitiae trezis fecere coronam  
Maccarides Nymphae, quam nec Apollo tenet.*


Scilicet: alter defensor, incognitus, rem tractabit, qui in macaronica poesi excellit, cuique Nymphae Maccarides de crinibus parvae colonae sertum fecerunt, quod ne Apollo quidem habet...

Potest vero quaedam sententiarum verborumque inter Folengi et Capassum institui comparatio, veluti in illis versibus:

*Narrabo casum, quo non spietatior alter,  
Ricciardique parem non habet historia,  
qui eos prope Folengi revocant in mentem:  
Valenthomini celebranda est forza Baronis  
Quo non Hectorior, quo non Orlandior, et quo  
Non tult in spalla portas Sansonior alter...*

sed haec fortuita potius convenientia quam vera imitatio habenda est.

Ex iis igitur quae diximus, effici cogique potest ut macaronica specimina Capassi, quippe quum, tot veneribus distincta argutiisque inspersa, neapolitanum illum sermonem, quo nullus numerosior ac sonantior, latina forma inducendum sumpserint, iure fetus ingenii acris dici possint, ut Alexius Symmachus Mazzochius, in suo disticho sub eius effigie scripto, affirmabat, et digna quae nostris prae manibus hodie habeantur.



At priusquam huius disputatione meae finem faciam, pauca addenda existimo, quae veluti animi vota sunt pro litteris latinis, undecumque manaverint, studio et industria prosequendis.

In virtute poetica Capassi veraque eius ratione penitus inspicienda, vidimus iam quam is in latinis iocis litteratisque ineptiis summus extiterit.

At quid opus est dicere quam laudis palmam in seriis accepit, quae, optimis firmisque vestigiis ingressus, mirum in modum concinnavit? Quid enim eius carmina memorem Carolo II Hispaniarum regi — soteria, — Philippo V — eisitheria — dicata, in nuptias scripta Caietani Argenti et inclitae virginis Constantiae Mirellae? quid votum campani misellenis, apologiam pro Hieronymo Cappello, elegiam *Parthenope*... in quibus omnibus auctor, quod iam ani-

madversum est, vere virgiliana maiestatis apicem attingit? quid epigrammata multa, omnibus numeris absoluta elegantiaque sermonis exornata?

Scilicet is neapolitanum ingenium fuit, omnis generis eruditione praeditum, in quod apte cadunt quae clarissimus ille rerum scriptor Muratorius ad G. A. De Ianuario a. MDCXXXI mittebat: « Neapolitana ingenia maximi semper facio, a natura videlicet ad grandia nata; et quibus freno potius quam calcaribus sit opus ». Quibus autem verbis haec Gravinae sententia congruit: « Adsunt et plures praesertim Neapolitani, ubi omnium est doctrinarum bonarumque artium celebritas, quorum fama nondum emanavit, qui vel modestia, vel vitae instituto, vel occupatione forensi, vel rerum humanarum contemptu, vel denique duriore fortuna... frequentiam hominum carentes in sinu gaudent, nequum sese luci crediderunt... non enim aliis, sed nobis tantummodo canimus... Quietem obscuram, quam tumultuosam gloriam malumus... ».

Quo tempore enim Capassus floruit, sub Caroli II et Philippi V imperio, hand pauci fuerunt qui, vel magnam prudentiam iuris civilis habentes, vel liberales artes tractantes, latina poesi exercerentur; neque poetriae defuerunt quae latinis versibus perpolitissimis scriberent altiusque se extollerent. Quin etiam, eo perfectionis absolutionisque optimi perseverant nonnulli, ut Gravina ipse, in opusculo de lingua latina, quam summis laudibus efferebat, scripserit: « Ut qui voluerint in vernaculis linguis idem experiri quod in latina, eruditissimi illi quidem, et dum latine dicerent, eloquentissimi; tamen habitu sunt in vernacula putidiusculi » (1).

Nomina eorum qui hoc praestiterunt certamine ac scripta, sane cedro linenda, fere nunc oblivione obruntur; atqui olim magnam sibi laudem colligerunt et avide perfecta sunt. Itaque num diu tolerandum est carmina Iosephi Aurelii de Ianuario, Aquaviae, Strozzi, Parthenii, Aulisii illius iuris antisitatis, Caracci, Maielli, Riccardi, omniumque celebrimi Vici, Catharinae Constantiae, Margarita Sarrocchi, Marthae Marchinae... nescio qua turpi despiciencia ignorari? Nonne ii omnes latina poesi excellentes praestantesque fuerunt et sui amoris in optimos scriptores antiquos monumenta egregia reliquerunt? Nonne necesse est ea omnia ab oblitione vindicare et honesto consilio proferre quid saeculis XVII et XVIII Neapolitani litterati homines de machina electrica, de calda cacaotica, de aestatis Surrentinis, de vere Herculaneensi, de iis denique rebus ad vitae usum profecto pertinentibus, senserint?

Hoc votum libenter suscipio: alii, si placet, sibi sumant optimisque omnibus prosequantur...

Scripsi Cavae Tyrrenorum.

MARCUS GALDI.

(1) Vid. Dialog. ad Emmanuelem Martinum.

## HORRIDA BARCINONE ADMISSA IN HEBDOMADA TERRORIS

ULTIMA MENSIS IULII ANN. MCMLIX

*Quam nutrit ardens Invidiae calor  
intus latentis, foeda Calumnia,  
iram usquequo audax concitabis  
igniferam, rabidamque bilem?*

*Delicta pascens turpis Iniquitas,  
laetare tandem criminis turgida:  
siftimne vindictae cruentae,  
qua premeris, Facinus triumphis*

*extinxit atris? Flagitii famem,  
terrore quassans pectora civica  
laresque perturbans verendos,  
dira Rebellio, adhucne sedas?*

*Tranquillitas, Pax, Ius, Deus ac Honor  
Pudorque, sacram claudite Regiam;  
nam Templa prostrant domusque  
exitiale Scelus sacra.*

*Heu quot ruinas, quot violentias  
(pudet fateri) furtaque cernimus!  
vestigia ingentis furoris  
sacrilegaque manus ubique.*

*Incendiis acris sordidus halitus  
succedit almis thuris odoribus  
Aris in ipsis sacrosanctis,  
suppositis sine lege flammis.*

*Regis Superni, sacrilegus pias  
incendiator sternit imagines,  
ridetque conspurcans; verefur  
quae Satanas, pede calcat ille.*

*Deo colendo quae sacra munera  
largasque gazas undique voverat  
fidelis, usserunt inique  
vel rapuere manus nefandae.*

*Non laudis hymni, verba sed horrida  
sicariorum Templa ruentia  
repent; suos atrox ferinos  
barbaries refegit cavillos.*

*In coenobitis, inque domus suas  
instar leonum cernimus efferas  
saevire turbas, et sepulcra  
usque fruces violare sancta.*

*Cessi favores sanguinis ebria  
non corda flectunt nec querimoniae:  
cuncti ore conclamant anarchia:  
nunc agitate fugam, tyranni.*

*Manu rapaci quo populant bona  
Artis latentis templaque destruant!..  
Heu mortuorum almam usque inquis  
aspiciunt oculis quietem!*

*Dumque ardet ignis, cordaque concutit  
terror Sororum, quot violentias  
luctusque.... nisus, Musa prudens,  
perfidiae retice pudendos.*

*Corruptionis conspice gurgifem,  
ubique raptant monstra licentiae,  
lector; repulsa lege sacra,  
flagitium viguit furorque.*

Vici.

I. FONTS.

## PAROEMIAE SIVE ADAGIA

### Quarta luna natus.

Quarta luna nati dicuntur, qui parum feliciter nati sunt, ut auctor est Eustathius in librum *Iliados* secundum, propterea quod Hercules hac luna natus feratur, cuius omnis vita voluptatum omnium expersus, ac laborum plena fuit. Dici potest etiam in eos, qui laboribus sibi neutquam frugiferis fatigantur, Hercules videlicet exemplo, qui iuvandis aliis sudavit sibi inutilis. Pyrihus apud Lucium Florum dicebat, se sibi videri Hercules sidere natum, quod, quo pluribus victoriis Romanos concideret, hoc acrieres in ipsum coorirentur. Id quod Horatius eleganter translatis ad Annibalem:

*Ut hydra secto corpore firmior  
Vinci dolentem crevit in Herculem.*

### Albae gallinae filius.

Feliciter natum, contra, albae gallinae filium vulgo dicimus, vel quod laeta atque ausplicata Latini alba vocant; vel quod proverbium alludit ad fatalem illam gallinam, de qua meminit Suetonius Tranquillus in *Galba*, his quidem verbis: « Liviae olim statim post Augusti nuptias Veientanum suum revisenti, pater volans aquila gallinam albam ramulum lauri rostro tenentem demisit. Quinque nutriri alitem, ac pangit ramulum placuisse, tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa ad gallinas vocetur. Tale vero lauretum, ut triumphaturi Caesares inde laureas decerpent. Fuitque mos triumphantibus, alias confestim eodem loco pangere. Et observatum est, sub cuiusque obitum, arborem ab ipso institutam elanguisse. Ergo novissimo Neronis anno et sylva omnis exaruit radicibus, et quidquid ibi gallinarum

erat, interiit». Conveniet igitur adagium in eos, qui rara et fatali quadam felicitate successuque rerum utuntur. Huic diversum est illud apud eundem Iuvenalem: « Nati infelicibus ovis ». Neque abhorret quod scribit M. Tullius ad Curium (*Epist. fam. VII*): « Quum enim salutationi nos dedimus amicorum, quae fit ex hoc etiam frequentius, quam solebat, quod quasi avem albam videntur bene sentientem civem videre, abdo me in bibliothecam ». Veteres enim quod inauspicatum haberí volebant, atrum aut nigrum vocabant; quod felix, album. Unde apud Senecam Asinius Pollio Albutii sententias, quod in affectatae essent et apertae, solitus est albas appellare.

### Cornutam bestiam petis.

Paroemia Plautina. De eo dici solet qui illum lassiverit qui paratus sit retaliare iniuriam, quemque non nisi tuo malo provokes. Huc spectavit Horatius in *Odis*: « Parata tollo cornua ».

## COLLOQUIA LATINA

### Invisitur aeger (1).

MARIUS. — Faustum familiarem nostrum audivi laborare aduersa valetudine.

CLEMENS. — Doleo sane vicem eius. At quando morbus illum corripuit?

M. — Non ita dudum. Vin' tu mecum una aegrum visere?

C. — Equidem volo. Ita nobis praeciunt amicitiae leges. Unde artem contraxit morbum? Non ex intempestivo litterarum studio, opinor, nedum ex frigore, aut inedia.

M. — E crudis malis, pyris aliisque huius generis fructibus; nam horum adolescens non alter aequo est cupidus atque ille.

C. — Quid illi dolet?

M. — Stomachus.

C. — Laborat ex stomacho? Hinc illae lacrimae, certo certius. At quid cessamus? Adeamus eius domum. Prope est... Quin pulsamus ostium?

M. — Resiste; nonne patrem Caroli vides domum ingredientem? Properemus, conveniamus... Mi domine, salve.

PATER FAUSTINI. — Salvete vicissim, adolescentes optimi.

C. — Filius ut valet a stomacho?

P. — Atqui minimus a stomacho metus est!

C. — Quo morbo tenetur praeterea?

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORHE S. I. Antwerpiae ed. an. MDCLVII. — Passim retractavit I. F.

- P. — Ipsi divinant medici. Susplicantur tabis esse speciem.  
 M. — Spero meliora. Superioribus diebus febri quotidiana conflictabatur...  
 P. — Nondum convalescit a febri: iam tertio quoque recurrit die. Sed quid tam diu pro foribus vos detineo? Tecto, si placet, succedite... Hac me subsequimini in aegroti cubiculum.  
 C. — Licetne cum illo colloqui?  
 P. — Rogas? Quidni liceret?  
 C. — Ne, si quietum interpellamus, hoc illi ad morbum praeterea.  
 P. — Interdiu somni nullam partem capit; noctu haud multo amplius: innoxii acceditis. Est illi solatio et voluptati consortium.  
 M. — Qui vales, mi Faustine? Nihil dum melius quam heri?  
**FAUSTINUS.** — Nihilo melius, quin aliquanto peius.  
 M. — Sane doles; at bono sis animo oportet.  
 F. — Et vos quanam valetudinem estis?  
 C. — Prospera certe, quae Dei benignitas est. Utinam propediem tu quoque valeas perinde ac nos!  
 F. — Ubi Superis videbitur, fiat: sin minus, aequo animo ferendum est.  
 C. — Faustine, ut corpori tuo male sit, certe animus valet.  
 F. — Quid agam? Impatientia morbus aggravescit: contra, multum iuvat animus in re mala bonus.  
 M. — Nondum tibi redditur cibi appetentia?  
 F. — Non nauseat saltem stomachus.  
 M. — Id felix est famis principium.  
 F. — Paullatim restituendam orexin spero, quoniam febris intermittere coepit.  
 C. — Nos porro precibus opitulabimus quoad poterimus.  
 F. — Habeo gratiam.  
 C. — Non est quod habeas: mutua precum subsidia pro iure suo amici exigunt.  
 F. — Aliquando crebrius deinceps commeate invendi mei gratia.  
 M. — Adhuc metuimus, visendo ne molestiam tibi exhiberemus, potius quam officium. Aegris, ut plurimum, amica solitudo.  
 F. — Nunc illa desinunt morborum fastidia; grati advenietis hospites.  
 M. — Non patiar me desiderari, si quid meum oblectat consortium.  
 F. — Tua consuetudine nihil est suavius. Verum quid cause est quod Clemens nos tam raro visitat? Quid accidit?  
 C. — Non licuit per valetudinem matris.  
 F. — Itane vero? An et morbus illam corripuit?  
 C. — Gravissimus. Dies sunt plus minus viginti quum decubuit.


- F. — Accipio excusationem.  
 C. — Iamvero defuncta est periculo. Deo sint grates.  
 F. — In posterum recures frequentior.  
 C. — Ita. Si quid a me neglectum est, crebra consalutatione pensabo.  
 F. — Optatus adveneris.  
 M. — Valetudinem fac cures diligenter, Faustine, et vale.  
 F. — Valete et vos in proximum congressum.  
 C. — Iterum atque iterum vale.
- 

### VENATIO AUTUMNALIS

Homo, quem videtis canes ad autumnalem venationem incunde sequentem, illud certe Ciceronis non oblitus est: « Venatio omnis quae cum canibus fit non minus studiose ab adolescentibus fieri debet propter utilitatem quam afferit in cognoscendo suam regionem ». Atqui ipsum tam tuto gressu procedentem quis dubitaverit vel minimos montium suorum recessus iam ab adolescentia cognovisse? Imo nihil aliud fecisse dixeris quam eos omni vitae sue cursu peragrasse; nec unquam Francisci Petrarchae verba audivisse, vel considerasse. Iuvat igitur illius ad aures altius afferre, quae praeclarus ille tum Italicarum tum Latinarum litterarum auctor de venatione et canibus in dial. XXXII scripsit: «... Vos volucrum servos esse gloriamini. Natura vobis duas manus fecerat; vos hanc fraeno, curvis hanc unguibus occupatis. Sic inutiles undique et volandi studio manci effecti, ne nihil agere videamini, multo cum strepitu ante diem surgitis et quasi sint hostes in limine praecipitanter erumpitis, tota de hinc luce iactamini stagnis, silvis ac vespribus, implentes cuncta clamoribus dissonis et incondito ululatu, in hoc spiritum nulli maiori rei habilem effundentes; spiritum, quo maiores vestri bello terrebant hostes, pace iustitiam defendebant. Serio autem re veluti bene gesta domi sedetis alterantes quam bene vel avis haec volaverit vel illa digesserit, quod caudae, quot alarum plumae superstites, quod emissae. Nonne haec omnis scientia vestra est? Hic amor, haec felicitas, et hoc totum quod creatori Deo, quod altrici patriae, quod parentibus, quod amicis redditis, sonantes in nubibus laniatae praedae paululum et sudorem et pulverem et nocturnam perdite lucis historiam.... ».

Heros vero noster nos vicissim in nubibus sonantes appellat, atque cupiditate sua actus, ut similium plerique, in voluptate sua, — ceterum nullo adstricta scelere, — durescit, ... et ultra procedit.

FORFEX.



VENATIO AUTUMNALIS.

## ACTA PONTIFICA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encyclicaes octavo exeunte saeculo ab obitu S. Anselmi doctoris.

(Cfr. num. sup.)

Haec Nobis vindicantes a piissimo Decessore Nostro ad Anselmi solatum prolata, dissimilare nolumus tamen anxiis animi dubitationes, quibus vel optimi inter sacros pastores aliquando distinuntur in anticipi consilio aut remissius agendi aut resistendi constantius. Cuius rei argumento esse possunt angores, trepidationes, lacrimae sanctissimorum hominum, quibus magis explorata erat animorum regiminis gravitas receptique in se periculi magnitudo. Laculentum vero testimonium Anselmi vita suppeditat, cui a grato pietatis et studiorum successu, ad amplissima munia, difficillimis temporibus, ut diximus, adscito, fuerunt acerbissima queaque subeunda. Cumque tot curis esset implicitus, nihil magis verebatur, quam ne suae populi saluti, Dei honori, Ecclesiae dignitati satis foret per se consultum. His autem cogitationibus conflictatum animum, eundemque propter defensionem plurimorum, et numero etiam sacrorum antistitum, gravi dolore incensum nihil magis recreabat, quam collata in Dei ope fiducia et quaesitum in Ecclesiae sinu perfugium. Itaque in naufragio positus... procellis irruentibus, ad sinum matris Ecclesiae confugiebat, a Romano Pontifice petens pium et promptum adiutorium et solamen (1). Divino autem fortasse consilio factum est, ut singulari sapientia et sanctitate vir tot adversis urgeretur. Per eas enim aerumnas exemplo ac solatio nobis esse potuit in sacro ministerio laborantibus et in maximis difficultates coniectis, ita ut unicuique nostrum liceat idem sentire ac velle quod Paulus: *Libenter... gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabet in me virtus Christi. Propter quod placebo mihi in infirmitatibus meis...; cum enim infirmor, tunc potens sum* (2). His non aliena sunt quae ad Urbanum II scribit Anselmus: *Sancte Pater, doleo me esse quod sum, doleo me non esse quod fui. Doleo me esse episcopum, quia peccatis meis facientibus non ago episcopi officium. In loco humili atiquid agere videbar; in sublimi positus praegrandi onere pressus, nec mihi fructum facio, nec utilis alicui existo. Oneri quidem succumbo, quia virium, virtutum, industriae, scientiae tanto officio competentium inopiam, plusquam credibile videatur, patior. Curam importabilem cupio fugere, pondus relinquere; Deum e contrario timeo offendere. Timor Dei illud me suscipere compulit, timor idem onus idem me retinere compellit... Nunc, quia voluntas Dei me latet, et quid agam nescio, errabundus suspiro, et quem rei finem imponere debeam ignoro* (3).

Divinae sic bonitati placuit, vel eximiae sanctitatis viros non ignorare, quae sua sit naturalis infirmitas ut per suasum sit omnibus, si quid ipsi praeclare egerint, id supernae virtuti esse totum tribuendum, atque ut per animi demissionem adducantur homines ad Ecclesiae auctoritatem impensio studio colendam. Id Anselmo alisque contigit episcope pro Ecclesiae libertate ac doctrina dimicantibus, duce Sede Apostolica; qui obedientiae suae hunc fructum retulerunt, ut ex certamine victores discederent, suoque exemplo divinam sententiam confirmarent: *vir obediens loquetur rationam* (4). Consequendi autem huiusmodi praemii spes maxima illis affulget, qui Christi personam gerenti sincero animo pareant in iis omnibus, quae aut regimen animorum spectent

aut administrationem christiana reipublicae aut alia cum his aliqua ratione coniuncta; *quoniam de Sedis Apostolicae auctoritate pendent filiorum Ecclesiae directiones et consilia* (1).

Hoc genere laudis Anselmus quantum praestiterit, quo ardore, qua fide coniunctionem cum Petri Sede retinuerit, ex his licet colligere, quae ad eundem Paschalem Pontificem ab eo scripta leguntur: *Quanto studio mens mea Sedis Apostolicae reverentiam et obedientiam pro sua possibilite amplexatur, testantur multae et gravissimae tribulationes cordis mei, soli Deo et mihi notae... A qua intentione spero in Deo, quia nihil est quod me retrahere possit. Quapropter in quantum mihi possibile est, omnes actus meos eiusdem auctoritatis dispositioni dirigendos, et ubi opus est, corrigendos volo committere* (2).

Eandem viri firmissimam voluntatem acta eius omnia et scripta testantur, in primisque litterae illae suavissimae, quas *caritatis calamo scriptas* (3) dicit memoratus Decessor Noster Paschalis. Nec vero suis ipse litteris pium modo *aditorum et solamen implorat* (4) sed non intermissas, preces adhibiturum se Deo pollicetur, ut cum ad Urbanum II Beccensis Abbas scriberet his verbis amantissimis usus: *Pro vestra et Romanae Ecclesiae tribulatione, quae nostra et omnium vere fidelium est, non cessamus orare Deum assidue, ut mitiget vobis a diebus malis, donec fodiat peccatori fo-rea. Et certi sumus, etiamnum nobis moram videatur facere, quoniam non relinquet virgam peccatorum super sortem iustorum; quia haereditatem suam non derelinquet, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (5).

Quibus aliisque id genus ab Anselmo scriptis mirifice delectamur, tum ob instauratum viri memoriam, quo nemo sane huic Apostolicae Sedi devinctior, tum ob excitatam recordationem coniunctissimae voluntatis vestrae, Venerabiles Fratres, in dictionis non dispari genere, litteris aliisque officiis quamplurimis declaratae.

Mirum profecto quantum roboris ac firmitatis accepit, de saeuentibus longo saeculorum cursu in christianum nomen prococellis, coniunctionis ista necessitudo, qua sacrorum antistites et fidelis grex arctius in dies Romano Pontifici adhaeserunt ad haec usque tempora, quibus ardor ille adeo succrexit, ut divino quadam prodigo videantur voluntates hominum in tantum consensum potuisse coalescere. Quae quidem amoris et obsequii conspiratio dum Nos plurimum erigit planeque confirmat, Ecclesia decori est ac praesidio validissimo. Sed hoc nempe maior in nos antiqui serpentis invidia conflatur, *quo praestantius est delatum beneficium; eoque graviores in nos irae colliguntur impiorum hominum, quo acrius hi rei novitiae percelluntur. Nec enim simile quidquam in reliquis consociationibus admirantur, nec facti rationem cernunt ullam, sive a publicis causis sive ab alia quavis humana re petitam, nec secum reputant sublimem Christi precationem, cum discipulis postremum discubentis, eventu comprobataam.*

Summa igitur ope niti oportet, Venerabiles Fratres, ut apte cohaerentia cum capite membra solidiore in dies nexus obstringantur, divinarum rerum ratione habita, non terrestrium, ita ut omnes *unum simus* in Christo. Ad hunc finem si velis remisque contendemus, functi erimus optime delato nobis officio provehendi Christi operis et regni eius in terris dilatant. Huc spectat suavis illa petitio, qua Ecclesia caelestem Sponsum urget assidue, in qua Nostrorum summa votorum continetur: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos* (6).

(1) Epist., lib. III, 37. — (2) II. Cor., XII, 9, 10. — (3) Epist., lib. III, 37.  
— (4) Prove., XXI, 28.

(5) Epist., lib. IV, 1. — (6) Ibid., ep. 5. — (7) In lib. III Epist. S. Anselmi, ep. 74. — (8) Ibid., ep. 87. — (9) In libro II Epist. S. Anselmi, ep. 33.  
— (10) Ioan., XVII, 11.

Haec autem industriae propositam habent defensionem, non modo contra externas impugnaciones in acie dimicantium ut Ecclesiae iura et libertatem labefactent, sed etiam contra domestici atque intestini belli pericula, cuius rei superius incidit mentio, quum doluimus esse genus hominum quoddam, qui subdolis opinionum commentis nitantur Ecclesiae formam ac naturam ipsum immutare penitus, doctrinae integritatem violare, disciplinam omnem pessum dare. Serpit adhuc per hos dies memoratum illud virus inficte non paucos, etiam sacri ordinis homines, praesertim iuvenes, inquinat, ut diximus, quasi aere afflatos, quos effrenata novitatis libido praecipites agit ac respirare non sinit.

Sunt etiam in his qui, tardioris ingenii et intemperantis animi spectaculum exhibentes, quidquid afferat incrementum dies iis disciplinis quae in adspectabilis naturae investigatione versantur et ad praesentis vitae utilitatem aut commoditatem pertinent, ea, tamquam nova tela, in veritatem divinitus traditam, per summam astutiam et arrogantiam intorquent. Hi meminerint, inculta novitatis fautorum quam variae fuerint ac discrepantes sententiae de rebus ad agnitionem animi et ad moderandam vitam plane necessariis, cognoscantque, hanc esse humanae superbiae constitutam poenam, ut constent sibi nunquam, et in ipso cursu ante obruantur, quam portum veritatis conspicere potuerint. Sed hi fere ne ipso quidem sui exemplo didicerunt de se tandem sentire demissus atque amovere consilia... et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi (1).

Quin etiam a nimia arrogantia in contrarium vitium delapsi sunt, eam philosophandi rationem securi, quae, de omnibus dubitando, quasi noctem quandam rebus offundit, et *agnosticismum* professi cum errorum comitatu multiplici atque infinita prope sententiarum varietate inter se mire pugnantium; quo opinionum confictu evanuerunt in cognitionibus suis... dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt (2).

Grandibus interim ac fucatis istorum verbis, novam sapientiam quasi caelo delapsam reconditasque discendi vias pollicentium, iuvenum pars labare paulatim atque averti coepit; quod idem olim accidit Augustino, manichaorum fraudibus circumvento. Verum de funestis hisce insaniant sapientiae magistris, de ipsorum ausibus, deceptionibus, fallacibus satis diximus in Encyclicis Litteris datis die VIII mensis Septembri anno MDCCCCVII, quarum initium *Pascendi dominici gregis*.

Illud hoc loco animadvertisse iuverit, quae memoravimus pericula, graviora quidem nunc esse atque imminere propius; non tamen iis penitus absimilia quae Anselmi tempore Ecclesiae doctrinae impendebant. Considerandum praeterea pari propemodum nobis praesidio ac solatio esse posse Anselmi doctrinam ad tutelam veritatis, atque apostolicum eius robur ad Ecclesiae iurium ac libertatis defensionem.

Atque heic persequi omitentes quaenam remotae illius aetatis fuit humanitatis, qui cleri populique cultus, breviter attingemus creatum eo tempore ingenii periculum duplex, eo quod in opposita extrema decurrerent.

Fuerunt enim inepti homines et vani, qui leviter ac permixte erudit, cognitionum indigesta mole gloriarentur, inani philosophiae vel dialecticae specie decepti. Hi quidem per inanem fallaciam scientiae nomine obtectam, spernebant sacras auctoritates, nefanda temeritate audent disputare contra aliquid eorum quae fides christiana confitetur... et

(1) II Cor., X, 4, 5. — (2) Rom., I, 21, 22.

*potius insipienti superbia iudicant nullatenus posse esse quod nequeunt intelligere, quam humili sapientia fateantur esse multa posse quae ipsi non valeant comprehendere... Solent enim quidam cum cooperant quasi cornua confidentis sibi scientiae producere, nescientes quod si quis aestimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire, antequam habeant per soliditatem fidei alas spiritales, presumunt in altissimas de fide quaestiones assurgere. Unde fit ut dum... praepotenter prius per intellectum conantur ascendere, in multimodos errores per intellectus defectum cogantur descendere* (1). Atque horum similia exempla complura hodie quoque versantur ante oculos.

Alli contra, remissioris animi, multorum casu perculsi qui naufragium in fide fecerunt, et periculum veriti scientiae quae inflat, eo devenerunt ut omnem philosophiae usum, forte etiam solidam quamvis de sacris rebus disputationem defugerent.

Media inter utramque partem catholica consuetudo consistit, aequa aversata et priorum arrogantiam, a Gregorio IX aeo inequenti reprehensam, qui *spiritu vanitatis ut eter distent... fidem conantur plus debito ratione adstruere naturam... adulterantes verbum Dei philosophorum figuram* (2), et horum negligentiam, qui nulla investigandi veri cupiditate trahuntur, neque curant per fidem ad intellectum profere (3), praesertim si eorum officii ratio postulet catholicae fidei contra tot congestos errores defensionem.

Ad quam suscipiendam divinitus excitatus videtur Anselmus, ut exemplo, voce, scriptis tutum iter ostenderet, christianae sapientiae latices ad commune bonum derivaret, duxque esset ac norma doctoribus, qui post ipsum *sacras litteras scholastica methodo tradiderunt* (4), quorum ipse precursor merito est nuncupatus et habitus.

Quamquam haec non ita sunt accipienda quasi Augustinus doctor primo statim gressu fuerit philosophiae ac theologiae fastigia consequitus aut ad summorum virorum Thomae ac Bonaventurae famam processerit. Horum enim sapientiae seriores fructus multa dies et coniunctus magistrorum labor maturarunt. Ipsem Anselmus, qua erat modestia sapientum propria, non minus quam celeritate ac subtilitate mentis, nihil a se scriptum edidit nisi oblata occasione, aut aliorum auctoritate compulsus, monetque constanter: *si quid diximus quod corrigendum sit, non renuo correctionem* (5); quin etiam, ubi res citra fidem posita sit et in quaestione versetur, non vult discipulum *sic his quae diximus inhaerere ut ea pertinaciter teneas, si quis validioribus argumentis haec destruere et diversa valuerit astruere; quod si contigerit, saltem ad exercitationem disputandi nobis haec proficere non negabis* (6).

Nihilominus multo plura est adeptus quam aut ipse speraret aut alius quisquam de se polliceretur. Adeo namque profecit, ut eorum qui sequuntur sunt gloria nihil eius landi detraxerit, ne ipsius quidem Thomae nobilitas, quamvis huic non omnia probata fuerint ab ipso conclusa, alia etiam retractata sint planius atque perfectius. Anselmo tamen hoc maxime tribuendum, quod in investigationi straverit viam, timidiorum suspiciones diluerit, incertos a periculis tutos praestiterit, pertinaciam cavillatorum damna propulsaverit, qui ab ipso sic iure designantur: *illi... nostri temporis dialectici, imo dialectice haereticorum* (7), quorum intellectus esset suis deliramentis et ambitioni mancipatus.

(1) S. ANSELM., *De Fide Trinitatis*, cap. 2. — (2) GREGOR., IX, Epist., *Tacti dolore cordis*, ad theologos Parisien, 7 Jul. 1228. — (3) In libro II, Epist. S. Anselmi ep. 41. — (4) *Breviar. Rom.*, die 21 Aprilis. — (5) *Cur Deus homo*, lib. II, 23. — (6) *De Grammatico*, cap. 21 sub finem. — (7) *De fide Trinitatis*, cap. 2.

De extremis hisce ait: *Quocumque omnes, ut cautissime ad sacrae paginae quæstiones accedant, sine communendi, illi utique nostri temporis dialectici... prorsus a spiritualium quaestionum disputatione sunt exsufflanti.* Quam vero subdit ratio, apte cadit in hodiernos eorum imitatores, quibus absurdæ illa recinuntur: *In eorum quippe animabus ratio, quæ et princeps et iudec omnia debet esse quae sunt in homine, sic est in imaginationibus corporalibus oboluta, ut ex eis se non possit evolvere nec ab ipsis ea, quæ ipsa sola et pura contemplari debet, valet discernere* (1). Nec alieni vindicent huic temporis verba, quibus id genus philosophos ridet, qui quoniam quod credunt intelligere non possunt, disputant contra eiusdem fidei a sanctis Patribus confirmatam veritatem; velut si vespertilliones et noctuæ non nisi in nocte caelum videntes, de meridianis solis radiis disceptent contra aquilas solem ipsum irreverberato visu intuentes (2). Quapropter et hoc loco et alibi (3) depravatam eorum opinionem reprehendit, qui philosophiae plus aequo concedentes, ius illi adserebant theologiae campum pervadendi. Huic insaniae se opponens egregius Doctor suos cuique fines constituit utriusque disciplinae, ac satis monet, quoniam sit munus et officium rationis naturalis in rebus quæ doctrinam divinitus revelatam attingunt: *Fides... nostra, inquit, contra impios ratione defendenda est.* — At quomodo et quoque? — Verba quæ sequuntur aperte declarant: *illis... rationabiliter ostendendum est quam irrationabiliter nos contenant* (4). Philosophiae munus est præcipuum, in perspicuo ponere fidei nostræ *rationabile obsequium*, et, quod inde consequitur, officium adiungendæ fidei auctoritati divinæ altissima mysteria proponenti, quæ plurimis testata veritatis indicis, *credibili facta sunt nimis.* Longe aliud ab hoc theologiae munus est, quæ divina revelatione nittitur et in fide solidiores efficit eos qui christiani nominis honore se gaudere fatentur; *nullus quippe christianus debet disputare quomodo, quod catholica Ecclesia corde credit et ore confitetur, non sit; sed semper eundem fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam vivendo, humiliter quantum potest, querere rationem quomodo sit.* Si potest intelligere, Deo gratias agat; si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum (5).

(Ad proximum numerum).

(1) Ibid., cap. 2. — (2) Ibid. — (3) In libro Epist. S. Anselmi, ep. 41.  
— (4) Ibid. — (5) De fide Trinitatis, cap. 2.

## EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

### Ex Congregatione Consistoriali.

— Facultas admittendi ad compositionem eos, qui bona ecclesiastica quaecunque occuparunt aut detinent privative tribuenda est Sacrae Congregationi Concilii etiamsi agatur de bonis ad Ordines aut religiosas familias pertinentibus. (Ex decr. d. VIII mens. Iulii MCMIX).

— Aetas 75 annorum circa auditores S. Rotae, de qua in can. 1, § 3 Legis propriae rotalis, intelligenda est de anno 75 incepito, non potius expleto. (Ex decr. d. XXVIII mens. Iulii MCMIX).

### Ex Congregatione de Sacramentis.

— Episcopus, gaudens indulto conferendi Ordines extra tempora et non servatis interstitiis, eo uti potest etiam erga alienos subditos, suorum Ordinariorum dimissorias habentes. (Ex decr. d. XIII mens. Augusti MCMIX).

— Propositio dubio « utrum facultas dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminentे mortis periculo in casu art. VII decreti Ne temere facta per decretum huius S. Congregationis diei 14 Maii 1909, valeat dumtaxat pro concubinariis; an etiamsi non agatur de concubinariis, sed alia adit causa ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimatione prolis », in plenario coetu a S. C. habitu d. XIII mens. Augusti MCMIX Eimi Patres responderunt: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

## DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Augusti — d. XXI mens. Septembris MDCCCCIX)

### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Neapolitani et Gallici peregrini Lapurdum petentes; r. p. Cormier, Ord. Praedicatorum magister generalis; r. p. Reuter, minister generalis Ord. Min. S. Francisci « Conventualium »; manus peregrinorum ex Hispania et Austria; Rossi Stokalper, antistes Urbanus, Vindobonensis Apostolicæ legationis auditor; r. p. Rodriguez, Ord. Erem. S. Augustini prior generalis; r. p. Serafini, Sublacensis Ord. S. Benedicti primus abbas; excius vir Aloisius Fantozzi, episc. Verul. consecratus; manus adolescentum ex omni Italia peregre profectorum et ab emo Purpurato Patre Petro Maffi, archiepiscopo Pisano, coram adductorum.

### Pontificiae electiones.

Excus vir Rinaldus Camillus Rousset, episcopus Balneoregianus, ad metropolitanam ecclesiam Rhenigensem promovetur.

— Excus vir Raimundus Angelus Jara, episcopus S. Caroli Ancudiae, ad cathedralem ecclesiam de Serena transfertur.

— Emmanuel Lugo y Gonzalez episcopus Oxomeni, et Emmanuel Basulto y Gimenez episcopus Luceni renunciantur.

### Vita functi viri clariores.

Die XXI mens. Augusti, Brundusii, excus vir *Aloysius Morando*, illius metropolitanae ecclesiae episcopus et Ostuniensis cathedralis ecclesiae administrator, vir scientia et pietate insignis.

## ANNALES

### Cretensis quæstio.

Si Cretensis rei evolutionem ex parte insulano-rum persequamur, equidem non est cur dubia atque anxieties notemus. Incolae enim, etiam post Graecum vexillum vi ab exteris nationibus remotum,

quieti manserunt, sententiam exterarum nationum de se fidenter exspectantes. Turcarum vicissim administris rationem se inituros declarant, qua liceat hinc Turcarum iura tueri, inde Cretensium optatis aliquo modo satisfacere. Si, contra, ad Graeciam oculos convertamus, timendum profecto est, ne luctifica exsurgent. Agendi enim ratio Rhallis administris ad animos conciliandos conversa, humili admodum atque ea quae « iuvenum Turcarum » insolentiam extolleret, pluribus tribunis militum visa est, qui protestationes suas scriptis primum, atque deinde aperta rebellione patefecerunt. Rhallis itaque munus abdicavit, in eiusque locus Mauromichalis ille suffectus est, quem audacem Turcarum adversarium omnes norunt. Is veniam seditiosis militibus concessit, effectique, iuxta ipsorum optata, ut regales principes, pro tempore saltem, ab exercitu abscederent, rumores vulgarentur regem, ob dignitatem suam ita vulneratam, imperium eiuraturum.

Nil certe melius hodie restat quam ut conventus brevi congregetur, quem passim dictarunt futurum, in quo Europæorum regnorum omnium legati Cretensis quaestionis solutionem, arbitrorum tribunalis sub specie, sine provocazione pronuntient.

### Mauritanum bellum.

Hispani ad Melillam urbem quum copias coegerint certioresque facti essent Marchica canalem, qua commeat facilius inveherentur, nunc ad navigationem aptum non esse, terrestre bellum festinarunt ad Gurugu regionem procedentes. Restinga et Charcas oppidis primum potiti iisque communis, ad Souk et Arbam sine ulla oppositione pervenerunt. Non tamen credendum est Cabilos illos subiectos; constat enim eorum vim in insidiis maxime positam esse.

Interim Mulay Afid in gentem sibi infensam saevit; quin imo dicitur aemulus eius El Roghi regnum affectans, quum in eius manus venisset, inter horrendos cruciatu vitam amisisse.

## PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia disceptatio de nova fisci lege adhuc produxitur.

In Lusitania rationes accepti et expensi perduntur.

In Serbia administratorum collegium, cui Novakovies praerat, a munere recessit.

## PER ORBEM

Die XXI mens. Augusti MDCCCCIX Hammerfest ab oppido nunciant aerostatum Welmann duce nordicum polum petentem imbris disruptum esse viatoresque miseram mortem obiisse.

— d. XXXII, Durocorturi, aviationis certamini initium fit.

Montrerey, Mexicana urbs, incendio vastatur.

— d. XXIII, Pittsburg in urbe, opifices ex dicto ab operibus recentes tumultus excitant, quos milites vi sedare conantur.

— d. XXIV Columbia, Argentina navis, Montisvidei portum ingrediens, in Germanicam navem Schlesien incurrit, inde proscinditur. Viatores plures infelici fato demerguntur.

— d. XXV Etruria passim violento terrae motu quattit; non tamen gravia damna tum hominum tum locorum lugentur.

— d. XXVI pyrogranae officina in Danuvii fluminis insula Csepel improviso incendio solo aequatur.

— d. XXIX Budapestini medicorum ex nationibus omnibus conventus habetur.

— d. XXXI ad Krivol-Rog latifundia ducenta et quinquaginta flammis absuntur.

Die I mensis Septembris nuntium ex Dania venit Fridericum Cook, Americanum exploratorem, in Europam revertentem, die XXI mens. Aprilis MDCCCC VIII arcticum polum attigisse.

— d. II, Breslaviae, Germanorum catholicorum conventui, ante dies aliquot inchoato, sollemni ritu finis imponitur.

— d. III per foedus Stokolmae initum Suionum omnium opificum a laboribus cessatio per multis dies producta, tandem desinit.

— d. V, Centumcellis, vita fungitur Balthasar Odescalchi, princeps Urbanus, Hungaricus optimas et Italici regni senator.

— d. VI Londino nuntium defertur Edwin Peary, Americanum exploratorem, et ipsum ad arcticam axim pervenisse die VI mens. Aprilis MDCCCCIX.

— d. VII Gallicus aviator Lefevre cum aeronavi sua in terram præcipitatus tragice perit.

— d. VIII ad Brixiam certamen alterum aviaturum ex omnibus populis certatur.

Grossmeritch in oppido Gulielmus et Franciscus Iosephus Caesares inter se conveniunt.

— d. X Persarum rex iam dignitate spoliatus Teheran urbem relinquit.

— d. XII Aprutiorum Dux, e Sabaudica gente princeps, ab Kara Korum montibus exploratis redux, Massiliam appellat.

— d. XIV La Paz Californiana regionis urbs, et Mulace portus improviso maris motu pessum dantur.

— d. XVI Dingwal in oppido Scotorum Michael e regali Bragantiae domo princeps, uxorem ducit Annam Stewart.

— d. XVIII Korloff, Russorum tribunus militum, post peragratas Asiae regiones circa lacum Konkonnor et Angorae montes, Moscoviam redit.

## IOCI

Quidam se vino obruerat adeo, ut ex ebrietate aegrotaret. Medicus accersitus, quem venam exploraret: — « Bone fili, — inquit — scyphus te pupugit », caussam morbi videbat significare hac metaphora volens. Tum ille: — « Papae! Si praescivissem, ex vitro bibissem! »



Urbanioris ingenii homo, cuius gulæ an offa, an pulicula apposita satis blandiebatur, quo plus aliis quiescentibus et sermoni suo inhiantibus vorare posset, narrationem de opilione instituit, qui maximum gregem ageret. Eum per varia loca circumduxit, et quid illi hic, quid illic accidisset exposuit; ita ut plura deinceps et exitus rei auditione dignus a simul discubentibus exspectaretur. — « Tandem — inquit — ad latam admodum, ut sunt in Germania, piscinan devenit, quam pons longus sed perangustus (duae dumtaxat in longum compactae trabes) iungebat, ut nisi una ovis sola transire posset ». Hic conticuit, et aliis attonitis ac multis nec edentibus, solus esitavit. Post aliquantum morae, illi: — « Et quid accidit postea? » — « Expectate — ait —; gressus magnus est; oves nondum omnes transierunt ».

Qui sequitur iocus in historia Urbinensi legitur. Galatus quidam Narniensis Senas eques ingressus, in platea quadam subsistens de diversorio quaerebat. Quem præpinguem et ventriosum quidam scurra contemplatus: — « Vide — ait —; sarcinam quam alii post se et a tergo, hic præ se vectat! » Extemplo audivit: — « Hoc soleo quem per loca furum iter habeo; alioqui morem, de quo dicis, servo ».

Dux Urbinas forte aquam rapidam et vorticosa cum equo transire necesse habebat. Ad vadum igitur praetendantum tubicinem suum ut ante se equitaret invitata. Tubicen mox retro conversus, capite nudato magna cum reverentia: — « Avertat Deus — inquit —, ne sim tam agrestis et incogitans! Ut in omnibus, ita hic etiam antecessus tibi debetur ».

Nicephorus, Imperator Constantinopolitanus, homo avarus, quoniam aliquando ad milites in campo exercendos progressus, cano cuidam, qui militiae nomen dare cupiebat, diceret: — « Ecquid homo iam canus militiam cogitas? », respondit ille, se nunc multo validiore esse, quam adolescentis fuisse. — « Qui dum? » ait Imperator. Hic ille: — « Quia olim uno aureo corrupto frumento duos onerabam asinos; te imperante, quantum duobus aureis emitur frumenti, haud gravate humeris meis porto ».

Cosmus Mediceus docto cuidam, sed improbo et stulto: — « Vinum habes — dixit — bonum valde, sed in dolio malo ».



Gloriosi et iactatores duo grandia et inaudita de more loquebantur. Dixit prior, se in quadam regione brassicam vidisse tantaa amplitudinis, ut mille et quingentos equites tegeter. Tum alter: — « Et ego in alia regione vidi ahenum, in quo fabricando centum laborabant, nec pulsus propter vastitatem invicem audiebant ». Hic prior ille: — « Quid, quid sibi cum istoc aheno tam vasto volebant? » Respondit posterior: — « Ut brassicam istam tuam in eo decoquerent ».

## AENIGMATA

## I.

Verbum me notula e septenis musica triplex  
Format; ne credas dulce notare melos.  
Res mihi cum tignis tantum, signoque labore  
Aures qui strepitu tundit, amice, tuas.

## II.

Huc illuc exleges invisique vagantes  
Perdere non raro, saepe iuvare solent.  
Id *primum*. *Reliquo* os donat natura disertum,  
Comoda quo populi iuraque promoveat.  
*Binas si partes iungas*, dexter vir protinus astat,  
Arte magistra qui mira patrare valet.

## Z. L.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Aenigmata an. XII, n. VII proposita his respondent:

1) Anus, Onus; 2) Amen, Omen.

Ea rite soluta miserant:

Luc. Rhaetus, *Bucarestho*. — Vinc. Starace, *Neapol.* — T. Chave, S. Boise, *Idaho*. — Alf. Martinez, *Badaicio*. — Max. Wronski, *Nova Wies Narodowa*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Aug. Scriban, *Iasaitis*. — Petrus Tergestinus. — Ind. Dubois, *Massilla*. — Adamus Kozlowski, *Petricovia*. — Ios. Martins, *Philadelphia*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — Call. Amalberti, *Albio Intemelio*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Arn. Rudzianski, *Thephelissio*. — Alois. Mommaro C. SS. R.; Clem. Henze, *Vaals*. — F. Arnoni, *Mediolano*. — Alex. P. Gest, *Trento*. — F. Xav. Chilon, *Ostunio*. — Ios. Buslig, *Brasso*. — F. Guerra, *Aletto*. — Alexius Faszus, *Szatmar*. — Ed. Ryan, *Tullamore in Hibernia*. — Rich. Müller, *Berolino*. — I. Rokoszy, *Sandomiria*. — Iac. Costa, *Dumio*. — F. Corren, *Emerita*. — Mart. Dunne, *Neo Eburoaco*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Ant. Whiteside, *Dublinio*. — Iac. Fernandez, *Mexico*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*.

Sortitus est praemium:

ALBERTUS PERRAUD,

ad quem missa est I. B. FRANCESIA actio dramatica versibus senaris conscripta, cui titulus:

TARCISIUS

## AEGYPTII - CAROLI M. ROSINII Comoedia

Recognovit I. F.

Iphi. Non, aedepol, abibis, ni prius ad singula Respondeas. Dic, qua statuta alter siet.

Stra. Tribus fere palmis me excedit, arbitror.

Iphi. Qua facie? oblongane, an rotunda? Stra. Instar pilae.

Iphi. Coma, ni fallor, flava? Stra. Minume, sed nigra.

Iphi. Macte, Stratilax, verum narras. Stra. Nunc me sinis Abire? Iphi. Unum denique dic mihi, dein abi:

Equis vestrum in dominum hos deduxit hospites?

Stra. Curculio. Iphi. Parasitus nempe ille subdolus?

Stra. Is nempe. Iphi. Teneo nunc probe. Iam quo libet,

Ito. Stra. Tuque valeas, Iphicrates, prout Belle de me meritus es. Vae corio meo! (2)

(2) Exit.

Iphi. Ipsi ergo sunt. Teneo manifestarios (1).

## SCENA II.

Curculio, Sannio, Charinus, Stratilax.

Cur. Tibi gratulor, Charine, quod sat commodus Aegyptius factus; sed in primis, quia Sic te Blepharo peramanter complectitur, Nihil ut supra. Char. Gaudeo equidem. San. Atque ego tuis Gaudebo gaudiis. Cur. Iam iam gaudebimus Omnes; namque in coena apparanda totus est;

(1) Exit et Iphicrates.

(2) Exeunt omnes.

(3) Lugens adfatur amicum.

(Pergit in pag. seq.)

## SCENA III.

Via ad Templum.

Chremes, Antisthenes.

Chre. Quid tibi videtur (3), amice Antisthenes? Virum Id aetatis terras cursare, atque maria, Ut unicum sibi perquirat filium,

(1) Redit Stratilax.

(2) Exeunt omnes.

(3) Lugens adfatur amicum.

## DESCLÉE ET SOCII - EDITORES PONTIFICII

ROMAE — Piazza Grazioli, palazzo Doria — ROMAE

D'ANNIBALE Card. JOSEPHUS

SUMMULA THEOLOGIAE MORALIS

*Editio quinta*  
diligenter revisa et emendata

Tria volumina in 8° gr.; pag. 1500 (Romae 1909) libell. 13,50

SUPPLEMENTUM EDITIONI QUINTAE  
SUMMULAE THEOLOGIAE MORALIS

Romae 1909

Vol. unicum in 8° (proxime prodit) libell. 1,00

N. B. Summulam acquirentibus dabitur *gratis* hoc Supplementum.

D'ANNIBALE Card. JOSEPHUS

In constitutionem Apostolicae Sedis

qua censurae latae sententiae limitantur

COMMENTARI

EDITIO QUINTA

1 vol. in 12; pag. 158. . . . . libell. 1,50.

Proxime prodit opus, cui titulus:

PASTOR Dr. LODOVICO

## STORIA DEI PAPI

DALLA FINE DEL MEDIO EVO

coll' aiuto dell' Archivio Segreto Pontificio  
e di molti altri Archivi

## VOLUME PRIMO

STORIA DEI PAPI NELL' EPOCA DEL RINASCIMENTO

FINO ALL'ELEZIONE DI PIO II

Huius operis maximi momenti nova versio Italica com-  
paratur vol. II ac vol. IV, 2. Nunc enim tantum exstat versio  
vol. III et vol. IV, 1.

Senectae quem sua baculum putaverat!  
Heu perditum me! Quid miseram hanc vitam traho?  
Ant. Vehemens in utramque partem tu nimis es, Chremes,  
Asperitate perinde atque querimonia.  
Chre. Satis quidem, fateor, durus fui pater;  
Idcirco iuste plector: sic meritum est meum.  
Charine, fili mi, quo versaris loco?  
Non tu me liquisti, sed ego abegi ferus.  
Si te rursus (1)

## SCENA IV.

Antisthenes, Chremes, Iphicates.

Iphi. Pone modum lacrimis, o Chremes.  
Chre. Eho, quid fers, Iphicates? Iphi. Fausta omnia.  
Chre. Ludis me? Iphi. Minume. Chre. Invenisti? Iphi. In-  
[veni] quidem.  
Chre. Pol tam cito? Quid me ludis? Iphi. Ita me Di ament,  
Ut verum praedico. Chre. Ubinam est? dic tu protinus.  
Iphi. Apud locupletem diversantur hominem.  
Ant. Quo illuc modo penetrarunt? Iphi. Id nescio.  
Chre. Ipsum vidisti? Iphi. Non equidem vidi, Chremes;  
Sed certo certius cognovi, ubinam sient.  
Chre. Te per Deos rogo, atque homines, Iphicates,  
Ne ludibrio habeas infelicem senem.  
Iphi. Non id meum est: gratis me castigas, Chremes.  
Num tibi verba dare putas, ut auferam

(1) Deficit vox prae lacrymis.

A te promissum praemium? Nil postulo,  
Ni prius amissum deprehendas filium.  
Ant. Eamus ergo simul. Iphi. Quid statis? Chr. Ecce me.  
Si verum praedicas, mecastor, non tuae  
Te industriae pigebit. Iphi. Habebo gratias.  
Veni igitur mecum, et quid facias, accipe.  
Chre. Venio. Dì faxint, ne tanta spe decidam (1).

## SCENA V.

Camera.

Cureulio, Blepharo, Cleonymus, Stratilax, Sannio, Charinus.

San. Char. Barbar (2)  
Stra. Papae! nunc hercule culices nemiam canunt.  
Ble. Quid aiunt, Curculio? Cur. Dis gratias agunt  
Aegyptio more. Ble. Probe equidem. Nonne optimum  
Ducis, si nunc tradam hospitalem tesseram?  
Cur. Optimum equidem consilium duco, Blepharo.  
Barbar. San. Cha.  
Cur. Amicas ergo inter vos dexteras iungite.  
Barbar.  
Ble. Cedo mihi nunc, Psithacopsis, dexteram.  
Char. Barbar.

(1) Exeunt.


(2) Mutuo loqui simulant manus extollentes.

(Ad proximum numerum).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, E. Cuggiani.


## HOROLOGIUM

ad Roskopfii rationem  
in germanicis Officinis fabricatum

sociisque Commentarii Vox Urbis  
qui subnotatores novos  
acquisiverint duos  
praemio constitutum



sociisque singulis Commentarii VOX URBIS dono concessum



CAESARIS TIRATELLI tabula  
baptismalem pomparam in Campania referens (metr. 0,60 × 0,40)  
sociis omnibus qui novum unum acquisiverint  
gratuito donatur.

## PROSPECTUS SUBNOTATIONIS COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCIX

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6

ubique extra Italiam Libell. 9

(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

recto tramite mittendum

**ad ARISTIDEM LEONORI Equitem**

Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem

**ROMAM, Piazza del Gesù, 48****Praemia sociis constituta:****Ex subnotatoribus quisque**

numisma, iubente Centrali Consilio ad  
Pii X P. M. Jubilaeum Sacerdotale cele-  
brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipit.

**Novi subnotatores singuli**

praeterea Vox Urbis kalendario fruentur,  
quod socii, qui iam superioribus annis ha-  
buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diribitorii expensas  
resarcendas addiderint.

**Qui socium novum acquisiverit unum,** eiusque subnotationis  
serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-  
chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc  
tamen et sequentibus praemiis bibliopole excipiuntur.

**Qui socios novos acquisiverit duos** ut supra, horologium sibi  
habet in Germanicis of-  
ficinis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

**Qui socios novos acquisiverit tres** eorumque subnotationis pre-  
mium miserit, a pretio suo  
solvendo eximetur.

**Qui socios novos viginti quinque coegerit** ante Iulium  
midiatum pretium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in dissectionis  
Italicam stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

**Qui socios novos coegerit quinquaginta,** ut supra, eodem  
itineri gratis om-  
nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

*Diligentia in opere.*

*Temperantia in pretio.*

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

*Gallice atque Hispanice loquitur.*

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (<sup>Grand Hôtel de la Minerve</sup>)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

**Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda**

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX  
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

*Gratuito sumptuum aestimatio fiet.*

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venundantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De proiecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

*Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem*

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

**ROMAM** - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

apud

Varsaviae Polonorum  
Gebethner et Wolf

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

Rakewskie Przedmiescie, 15.

"Kronika Rodzinna",  
Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1699, Rue Notre-Dame.